



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

112. Non sine gravi &c. Declaratio nullitatis, damnatio, & reprobatio
Postulationis à Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis
factæ de Persona Principis Ernesti Augusti è ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

DECLARATIO

C XII.

Nullitatis, damnatio, & reprobatio Postulationis à Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesie Osnabrugensis factae de persona Principis Ernesti Augusti de Brunsvicensi, ac Luneburgenfi Domo notorii Acaholicum in Episcopum ejusdem Ecclesie, cum aliis Ordinationibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Non sine gravi animi nostri molestia, vel potius horrore novissime nobis innuit, quod aliis, videlicet postquam bonae memoriae Carolus à Lotharingia, dum vixit, Electus Trevirensis S. R. I. Princeps Elector, nec non Ecclesie Osnabrugensis Administrator debitum naturae persolverat, Capitulum, & Canonici ejusdem Osnabrugensis Ecclesie, ad quos occurrente ejus vacatione electio personae idoneae illi ad electionem hujusmodi per Romanum Pontificem pro tempore existentem praeficienda, juxta Concordata dudum inter Sedem Apostolicam, & inclytam Nationem Germanicam inita, spectare dignoscitur, pro futuri Episcopi electione die ad id praefixam convenientes in unum, non modò Sacrarum legum, sed sui etiam officii, imò & ipsius, quam profitentur, Orthodoxae Religionis prorsus immemores, novo, & haestenus inter Catholicos inaudito, detestandoque exemplo, principem Ernestum Augustum de Brunsvicensi, ac Luneburgenfi Domo notorium Acaholicum, caelesti ad id Sancti Spiritus ope sacrilegè invocata, in Episcopum memoratae Osnabrugensis Ecclesie concordibus suffragiis postulare non erubuerunt, & mox illius Postulationem solemnè ritu, & majori, qua fieri potuit, celebravit, in Sacrosanctae, & individuae Trinitatis nomine, temerè promulgarunt. Deinde verò, juxta illud Prophetae: multiplicarunt altaria ad peccandum, factaeque sunt eis ara ipsae in delictum, cum propemodum servire facientes Dominum in peccatis suis, de hujusmodi execrando scelere, quod patrarunt, Omnipotenti Deo cantare in Ecclesia gratias agere, hymnumque publicè de Canticis Sion veriti nequaquam fuerunt.

§. 1. Quae omnia quanto cum Catholicorum more, ac offensione, quantaque ex opposito cum Eterodoxorum exultatione, ac triumpho contigerint, nemo est qui ignoret. Neque enim Capitulum, & Canonici praedicti ad tanti facinoris iniquitatem, ac turpitudinem obtegendam causari poterant malorum metum sibi, & Ecclesiae ceteroqui impendentium; Illorum quippe in cordibus fervere debebat charitas Christi, quae foras mittit timorem; Aut si quid illis timendum erat, id unum timere debebat, ne apud Deum, & homines redargui jure possent Ecclesiae dignitati, loco, & honori, suo, ac debitae Sacris legibus reverentiae turpiter defuisse.

§. 2. Porro quamvis explorati juris sit hac occasione gesta, seu verius attentata ab eisdem Capitulo, & Canonicis, tanquam Sacris Sanctionibus, Oecumenicis Conciliis, Apostolicis Constitutionibus, imò & ipsius Catholicae Religionis principiis aperte refragantia, fuisse, ac esse per se manifestò irrita, inania, invalida, nulliusque prorsus roboris, ac momenti, adeoque speciali improbatione, & cassatione nostrâ nequaquam indigere; Nihilominus Nos, qui aequi, bonique, ac quorumcumque Ecclesiasticorum Jurium supremi Assertores in terris à Domino constituti sumus, simulque omnium Ecclesiarum, ac Christifidelium

curam, & sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, Catholicae Fidei, Divino cultui, Animarum saluti, praefataeque potissimum Ecclesiae Osnabrugensis Jurium indemnitate, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, nec non omnium, & singulorum, quae in praemissis seu illorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias etiam aggravantes, aliave quaecumque, etiam specificam, & individuum mentionem, ac expressionem requirentia, praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac exactè specificatis habentes: Motu proprio, & ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, praenarratam antedicti Principis Ernesti Augusti Postulationem ad Ecclesiam Osnabrugensem à Capitulo, & Canonicis supra dictis factam, & publicatam, ut praesertim, aliaque omnia, & singula, tam ab ipsis Capitulo, & Canonicis, quam à memorato Principe Ernesto Augusto postulationis hujusmodi vigore seu praetextu per se, vel alios quoscumque, etiam specificâ, & individua mentione, & expressione dignos in praemissis, vel circa ea quomodocumque, & qualitercumque facta, gesta, mandata, decreta, ordinata, vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quandocumque secuturis, ipso jure nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, iniqua, injusta, damnata, reprobata, viribusque, ac effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri; imò nec illa ulatenus à quoquam observari potuisse, ac debuisse, aut posse, & debere: neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel praescribendi causam acquisitam vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non exstantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore praesentium decernimus, & declaramus.

§. 3. Et nihilominus ad abundantiorè cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, tanquam Catholicae Fidei, divino, cultui, animarum saluti, Ecclesiaeque Osnabrugensis Juribus praedictis, & Sacris Sanctionibus, ac Apostolicis Constitutionibus adversantia, harum serie improbamus, recindimus, damnamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur; Nec non praedictam Osnabrugensem Ecclesiam, ut prius, vacantem declaramus, pariter, ac pronunciamus, & pro vacanti ab omnibus haberi volumus, & mandamus.

§. 4. Praeterea Venerabili Fratri Hieronymo Archiepiscopo Tarfensi nostro, & hujus Sanctae Sedis ad Tractum Rheni, & partes inferioris Germaniae Nuncio, earumdem tenore praesentium injungimus, ut praedictis Capitulo, & Canonicis Osnabrugensis Ecclesiae incunctanter denunciaret, eos propter praemissa incidisse in censuras, & penas à Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus contra talia perpetrantes inflictas, illorumque propterea seridè moneat, ut propriae conscientiae securitati quamprimum consulant. Quod quidem si fecerint, suoque agnito excessu verè poenitentiae signa ostenderit, Nos juxta ejusdem Sedis morem, quae tanquam pia Mater recurrem-

tibus

Exordium à Pontificio horrore, quod Canonici Osnabrugensis Ecclesiae Acaholicum notorium in ejusdem Ecclesiae Episcopum concordibus suffragiis postularint.

Rejicit metus obtentum, quo Canonici ad ejusmodi Postulationem devenisse causabantur, ac ipsos acriter increpat.

Declarat postulationem d. Acaholicum Episcopi fuisse, ac esse ipso jure nullam cum omnibus inde fecutis, & secuturis.

Et ad cautelam, ipsam postulationem irritat, damnat, ac reprobat, nec non Osnabrugensem Ecclesiam, ut prius, vacantem declarat.

Nuncio Apostolico Coloniensi injungit, ut Capitulo, & Canonici Osnabrugensis, denunciaret eos ob praemissa incidisse in censuras, ac ipsos moneat, ut propriae conscientiae consulant.

ANNO
1716.

Eidem Colo-
mensi Nuncio
facultatem
tribuit
absolvendi ad
se recurrentes
ac de præmis-
sis dolentes
&c. in-
iuncta pœnitentia
salutari, nec non
dispensandi
cum ipsis su-
per irregulari-
tate, ac eos
ad Beneficia
ac officia res-
tituendi &c.

Decreta ro-
norantia, &
salutaria.

tibus post lapsum cum humilitate filii se propitiam exhibere solet, & benignam, eidem Hieronymo Archiepiscopo, & Nuncio per ipsas presentes committimus, & mandamus, ut quoscumque ex illis, qui eadem præmissa peregerunt, seu aliis in eis quovis modo culpabiles fuerunt, ad se recurrentes, ac de præmissis huiusmodi dolentes, si hoc ab illo humiliter petierint, & facta prius per eos declaratione, quod ipsi presentibus literis, ac omnibus, & singulis, quæ in illis continentur, plenam, sinceram, ac debitam obedientiam in omnibus, & per omnia se submitunt, nec non factam iidem promissione, quod in futurum à similibus abstinebunt, & quidquid eis ulterius præscriptum, aut injunctum fuerit priusquam infra scriptæ absolutionis beneficium obtineant, observabunt, & adimplebunt, à censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censi, vel prætendi possent, injunctam cuique pro modo culpæ pœnitentiâ salutari & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, similiter injunctis, in utroque foro autoritate nostrâ Apostolicâ in formâ Ecclesiæ consuetâ absolvat, & totaliter liberet, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiosè remittat, & condonet; Ac cum illis super irregularitate per eos, qui à censuris huiusmodi propter præmissa innodati Missas, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) forsitan celebraverunt, seu aliis in suis Ordinibus ministrarunt quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenseret; Ipsosque, & eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, nec non Beneficia, & Officia Ecclesiastica quæcumque, ceteroqui tamen canonicè per eos obtenta, ac aliis in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum adversus eadem præmissa rehabilitet, restituat, reponat, & plenariè reintegret. Nos enim quæcumque necessariam, & opportunam ad hæc facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur, communicare, & subdelegare valeat, eidem Hieronymo Archiepiscopo, & Nuncio harum ferie autoritate prædicta tribuimus, & impertimur.

§. 5. Decernentes etiam easdem presentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant, seu aliis specificâ, individuâ mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eadem presentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis lationis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque, etiam quantumlibet magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas a perititionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine partibus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se javare nullo modo posse, sed ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existe-

re, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfata Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quæcumque præminentiam, potestatem & fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contrigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo; legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, nec non prædictæ Ecclesiæ Osnabrugensis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & styliis etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis præfatis, aliisve quibuscumque personis, etiam quæcumque Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgentibus, & aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & in solitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, ac quantumcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, presentibus pro plerè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel offensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die xvii. Decembris MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno XVII.

F. Cardinalis Oliverius.

Pro

ANNO
1716

Clausula su-
blata, & irri-
tans.

Amplissima
derogatio quæ
quibuscumque
contrariis.

Fides adhi-
benda trans-
umptis.

ANNO
1717.

Promulgato in illis partibus, ac alibi prædicto Brevis Apostolico, statim ac ejus tenor Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesie Osnabrugensis innotuit ipsique insuper à D. Nuncio Apostolico ad tractum Rheni, & alias inferioris Germaniæ partes serio denunciatum fuit eos ob præmissa incidisse in Censuras, & penas à sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus contra talia perpetrantes inflictas, illicò eidem DD. Canonici, propria conscientia securitati consulere satagentes, absolutionem à præfatis Censuris, & pœnis humiliter petierunt. Quocirca antedictus D. Nuncius Apostolicus illorum supplicationi benignè annuens, ac utens facultate à Summo Pontifice in memorato Brevis sibi attributa, subdelegavit ad hunc effectum D. Hyacinthum Petit Episcopum Heliopoliensem Ecclesie Osnabrugensis Suffraganeum, qui duodecim ex præfatis Canonibus id humiliter flagitantes, & facti pœnitentes à Censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, in quas propter præmissa quomodocumque incurrerant, auctoritate Apostolica in utroque Foro in forma Ecclesie consueta singillatim absolvit, injuncta unicuique congrua pœnitentia salutari, & exacta ab ipsis promissione, quòd in futurum à similibus abstinerebunt; nec non super irregularitate præeox quomodolibet contracta in utroque pariter Foro dispensavit; ac tandem illos ad famam, gradus, dignitates, Beneficia, & Officia quæcumque Ecclesiastica canonicè obventa restituit, ac plenarie reintegravit infra scriptis diebus, videlicet 1. 18., 20., & 23., Decembris anni 1718., & 4., 20., & 23., Januarii, 2., & 24. Februarii, 13. Aprilis, 31. Maii, & prima Julii anni 1719. Defuncto postmodum antedicto Domino Episcopo Heliopolienfi in ejus locum Dominus Nuncius Oloniensis subrogavit R. P. Octavianum Venlonensem Guardianum Fratrum Cappuccinorum Clivie, & D. Theodorum L. B. à Pvaëbendock Canonicum Osnabrugensem, qui eadem Apostolica auctoritate alteri ex præfatis Canonibus Osnabrugensibus absolutionem à Censuris, dispensationem super irregularitate, & reintegrationem ad Officia, & Beneficia, ut supra, concesserunt die 5. Octobris 1719. Denique idem D. Nuncius Colonienfis R. P. Petro Schmitman Societatis Jesu Exprovinciali facultatem subdelegavit absolventi, ut supra, alium Canonicum Osnabrugensem, qui pariter juxta modum cum aliis servatum ritè absolutus die 22. Novembris 1719. Quatuordecim itaque Canonici præfate Cathedralis Osnabrugensis Ecclesie absolutionem, dispensationem, & reintegrationem ob præmissa humiliter petierunt, ac obtinuerunt ut supra, quemadmodum apertè constat ex authenticis Instrumentis ea de re confectis, quæ adjuncta & annexa singulis exemplis prælo editis antedicti Brevis à memorato D. Nuncio Apostolico ad Sanctitatem Suam transmissa fuere. Ea tamen hic inserere supervacuum visum est, cum omnia sub eadem formula concepta, ac exarata sint. Unum nihilominus ad historiam fidem subicietur, & est tenoris sequentis, videlicet.

Coram Reverendissimo Domino Hyacintho Petit Episcopo Heliopolien. Ordinis Carmelitarum Ecclesie Osnabrugensis Suffraganeo, ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Archiepiscopo Tarsensi Sanctissimi Domini Nostri, & S. Sedis Apostolicæ ad tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniæ partes Nuncio, ad hunc casum specialiter subdelegato, meque Notario infra scripto comparuit Reverendissimus, & Perillustri D. N. N. Ecclesie Osnabrugensis Canonicus &c., & exposuit, quòd alias postquam bon. mem. Carolus à Lotharingâ, dum vixit Electus Treviren. S. R. I. Princeps Elector, nec non Ecclesie Osnabrugensis Administrator debitum naturæ persolverat, Capitulum, & Canonici ejusdem Osnabrugensis Ecclesie pro futuri Episcopi Electione, die ad id præfixâ convenientes in unum, inaudito exemplo Principem Ernestum Augustum è Brunsvicensi, ac Luneburgenfi Domo A Catholicum in S

Episcopum memoratæ Osnabrugensis Ecclesie concordibus suffragiis postulaverint: Cum autem prædictus Reverendissimus, & Perillustri D. N. N. divinâ afflante misericordiâ, in se reversus agnovit, & agnoscat se ob concursum habitum cum cæteris Canonibus in postulatione in Episcopum supradicti Principis A Catholici, & in aliis actibus concomitanter subsecutis, incidisse in Censuras, & penas à sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis sancitas, ac nuperrimè de illarum incurfu fuerit benigniter, & misericorditer admonitus à Sanctissimo Domino Nostro Papâ Clemente XI. per literas in formâ Brevis expeditas Romæ apud S. Mariam Majorem sub die 17. Decembris 1716. Hinc est quòd humiliter petiit absolvi à censuris, & pœnis quomodolibet ex causis præmissis incurfis. Quibus precibus auditis per supradictum Reverendissimum D. Episcopum Heliopolien. Ecclesie Osnabrugensis Suffraganeum injunxit eidem Reverendissimo, & Perillustri D. N. N. pœnitenti, ut faceret, prout fecit, declarationem quòd ipse prærecessitis literis in formâ Brevis, ac omnibus, & singulis, quæ in eis continentur, sincerâ, ac fideli obedientiâ se submittit, & quòd promitteret, prout promisit, quòd in futurum à similibus abstinerebunt, & quòd quid ei ulterius præscriptum, & injunctum fuerit, exactè observabit, & exequetur. Quibus sic adimpletis idem Reverendissimus Episcopus Heliopolien. Ecclesie Osnabrugensis Suffraganeus, utendo in hac parte facultatibus sibi per dictum Illustrissimum, & Reverendissimum D. Nuncium attributis, vigore specialis subdelegationis inferius registrandæ eundem Reverendissimum, & Perillustrem D. N. N. genuflexum denuò humiliter instantem pro absolutione à censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter præmissa incurrit, aut incurrisse prætendi posset, auctoritate Apostolicâ sibi ut supra subdelegatâ in utroque foro in formâ Ecclesie consueta absolvit, & liberavit, injungendo eidem, ut pro pœnitentiâ salutari decem Imperiales in pauperes erogaret, omnesque penas ex relatis causis incurfas eidem Reverendissimo, & Perillustri D. N. N. pœnitenti gratiosè remisit, ac condonavit, ac ulterius super irregularitate per eundem Reverendissimum, & Perillustrem D. N. N., qui censuris hujusmodi ob præmissa innodatus, divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) forsân celebravit, seu aliâs in suis ordinibus ministravit, quomodolibet contractâ ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispensavit, ipsumque ad famam gradus, dignitates, nec non beneficia, & officia quæcumque Ecclesiastica per eum canonicè obventa rehabilitavit, restituit, & plenariè reintegravit. Quibus ita ad amissim peractis sæpe memoratus Reverendissimus Episcopus Heliopolien. dictæ Ecclesie Osnabrugensis Suffraganeus injunxit mihi supradictis, & infra scripto Notario, ut de præmissis publicum conficerem Instrumentum registrandum, prout registravi, in pede annexi exemplaris Brevis impressi ad perpetuam rei memoriam: Tenor autem subdelegationis factæ per supradictum Illustrissimum, Reverendissimum D. Nuncium in personam pluries memoratæ Reverendissimi Suffraganei Ecclesie Osnabrugensis est prout sequitur videlicet: Hieronymus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Tarsensis, Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentiâ Papa XI. Prælatus Domesticus, & Assistentis, ejusdemque, ac dictæ S. Sedis Apostolicæ ad Tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniæ partes cum potestate Legati de latere Nuncius Reverendissimo Domino Hyacintho Petit Episcopo Heliopolien. Ordinis Carmelitarum Ecclesie Osnabrugensis Suffraganeo salutem: Noverit Reverendissima Do-

ANNO
1717.

ANNO
1712.

minatio Tua fuisse ad Nos transmissas literas Apostolicas in forma Brevis (annexæ sunt eæ huic Instrumento) ad quarum literarum Apostolicarum executionem procedere, & eâ, quæ Nobis à Sanctissimo Domino Nostro commissa fuerunt, prout tenemur, adimplere volentes, de integritate zelo, prudentiâ, & doctrinâ, quibus Reverendissimam Dominationem Tuam insignitam novimus, plurimum in Domino consisti, vigore facultatum Nobis in præserto Brevis hac in parte concessarum; Nos prædictus Hieronymus Archiepiscopus Tarfensis, Reverendissimæ Dominationi Tuæ per præsentem committimus, ut omnibus & singulis Canonicis Osnabrugen. Ecclesiæ Catholicæ fidem præsentibus, vel quibuscumque aliis, qui de excessibus in prædicto Brevis expressis quomodo culpabiles sese Reverendissimæ Dominationi Tuæ denunciaverint, ac propterea humiliter absolutionis beneficium à censuris præmissis de causis incurris imploraverint, factâ prius per eos, vel quemlibet eorum declaratione, quod ipsi præmemorati Brevis, ac omnibus & singulis, quæ in eo continentur, sincerâ, ac debitâ obedientiâ in omnibus, & per omnia se submitunt, ac factâ itidem promissione, quod in futurum à similibus abstinere, & quidquid eis ulterius injunctum fuerit, observabunt, & adimplebunt, à censuris & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem præmissa quovis modo incurserunt, seu incurrisse dici, censeri, aut prætendi possent, injunctâ cuique pro modo culpæ poenitentiam salutari, in utroque foro autoritate Apostolicâ Nobis, ut præfertur, à Sanctissimo delegatâ in forma Ecclesiæ consuetâ absolvat, & totaliter liberet dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiose remittat, & condonet, ac cum illis super irregularitate per eos, qui à censuris hujusmodi propter præmissa innodati, Missas, & alia divina officia, (non tamen in contemptum Clavium) forsitan celebrarunt, aut alias in suis Ordinibus ministrarunt, quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset, ipsosque, & eorum quemlibet, ad famam, gradus, & dignitates, nec non Beneficia, & Officia Ecclesiastica quæcumque per eos canonicè obventa rehabilitet, restituat, & plenariè reintegret. Injungimus præterea Reverendissimæ Dominationi Tuæ, ut tam de adimplemento conditionum, quod, ut præmissimus, præcedere debet absolutionem eorum qui in præfatis excessibus se culpabiles accusaverint, quam de ipso effectivo actu absolutionis eisdem concessâ, publicum per Notarium, aut Cancellarium ad id per Reverendissimam Dominationem Tuam specialiter deputandum, mandes confici Instrumentum registrandum in pede annexi exemplaris Brevis, quod ad Nos postmodum in formâ probanti transmittes. Datum Coloniae 30. Septembris 1718. Pœtificatus Sanctissimi Domini Nostri Anno XVIII.

Ita actum est prima Decembris 1718.

Hyacinthus Episcopus Heliopolitanus suffraganeus, & Vicarius Generalis Osnabrugensis ad hoc subdelegatus manu propria.

Loco † signi.

N. N. Canonicus Osnabrugensis.

Loco † signi.

Actum coram me, ut supra, prima Decembris 1718. in Curia Episcopali Illustrissimi, & Reverendissimi Domini mei Hyacinthi Episcopi Heliopolitan. suffraganei, & Vicarii Generalis Osnabrugensis ad hunc specialem casum subdelegati ab Illustrissimo,

& Reverendissimo Domino D. Archiepiscopo Tarfensi ad partes Rheni, & Germaniæ inferioris Nuncio Apostolico.

Loco † signi.

Natalis Denius Notarius Apostolicus Juratus manu propria.

ANNO
1712.

P A R S S E C U N D A.

Comprehendit Edicta, Decreta, Monitoria, & Mandata memorabilia ad Spirituale, ac temporale Urbis, Ditionisque Pontificiæ Regimen pertinentia, quæ CLEMENTE XI. PONT. MAX. ejusque auctoritate ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. DD. Cardinalibus Vicario, Camerario, Signaturæ Justitiæ Præfecto, & Prodattario: Nec non à RR. PP. DD. Governatore Urbis, Auditore Generali, & Thesaurario Generali C.A., Auditore Papæ & Congregationibus particularibus à Sanctissimo specialiter deputatis prodierunt: Juxta temporis seriem disposita.

E D I C T U M

Super Residentia Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Beneficia personalem residentiam requirantia obtinentium, quo ut ad suam Ecclesiam Metropolitanam, Cathedralam, Abbatialem, seu alias quomodocumque residentialem infra præscriptum tempus se conferant, admonentur.

Gaspar Miseratione Divina Episcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis Carpincus, Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis. Romanæque Curie ejusque Districtus Judex ordi arius &c.

U Niversis, & singulis Reverendissimis DD. Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque quibuscumque quovis nomine, & titulo Ecclesiis Præfatis, in Urbe, & in Romanâ Curia existentibus. Ex ordine Sanctissimi D. N. Clementis Divinâ providentiâ Papæ Undecimi vivæ vocis oraculo nobis desuper facto præcipimus, & expressè mandamus, eosque requirimus, & monemus, quatenus ad memoriam reducentes Constitutionem felic. recordationis Urbani Papæ VIII. super residentia Episcoporum, sub die duodecimâ Decembris millesimi sexcentissimi trigessimi quarti editam, illi in omnibus sese conformare, & cum effectu parere debeant sub pœnis, & censuris in ea contentis.

§. 1. Parique modo universis, & singulis Clericis Beneficiariis cujuscumque conditionis, gradus, dignitatis, & præminentie in eadem Almâ Urbe existent. qui in suis Ecclesiis Parochialibus, Dignitatibus, Canonicatibus, vel aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis de jure, vel consuetudine

dine